


DESCRIPTIONIS
INDIÆ OCCIDENTALIS,
LIBER NONUS.

Novum Regnum Granatæ.

10

C A P. I.

Novi Regni Granatensis prima inventio anno c1510 xxxvi duce
Gonsalvo Ximenez de Quesada Licentiato.



UPERIORI libro Americæ Australis Continentem prosecuti sumus usque ad Præfecturæ *Veneçuela* limites, nunc ad interiores Provincias nos convertemus, ut per easdem ad Mare Australe reversi, orbem hujus Australis Americæ secundum ordinem à nobis institutum deinceps obeamti. Hic autem primò sese offert *Novum Regnum Granatæ* ut vocant, de cuius finibus, & cœli solique qualitatibus priusquam agamus, operæprecium erit de prima illius inventione pauca prämittere, quæ lucem aliquam sequenti tractationi afferent.

Anno itaque c1510 xxxvi Ferdinandus de Lugo

Her. d.5.
1.10.c.17.

Canariarum Insularum Archithalassus legatū suum *Gonsalvum Ximenium de Quesada* I. V. Licentiatum, inde ab oppido *S. Martha* misit, ut regiones ad ripam magni fluminis *Magdalena* sitas perlustraret: Qui cum idoneis copiis terra marique profectus, terrestri quidem itinere ripam fluminis ingredientibus sinistram ascendit: qua incedens, tum ob densitatem nemorum, amnium & torrentium multitudinem, uliginosa denique atque paludosa itinera, tum autem maxime ob crebras barbarorum, ferocium juxta atque crudelium infestationes, summas viarum difficultates est expertus: tandem pervasit ad locum quendam, quem barbari quidem *Toram* dicebant, *Tora*. ipse vero *Pueblo de los Brachos* appellavit, quod quatuor amnis brachia hīc in unum confluenter: Itinerum rationibus subductis, haec tenus se c. l. leuc. à mari intra continentem progressos crediderunt: & cum cymbæ quæ adverso flumine ascenderant hīc se cum illo conjunxissent, & flumina supra modum intumescerent atque in vicinos agros sese effunderent, ibidem hybernare visum fuit. Animadverterat in terea, salis copiam inde ab ipso Oceano à barbaris ad lxx leuc. subvectari; contraque plurimum salis, à longinquis regionibus, ab eisdem barbaris ad hunc locum deduci; è quo haud frustra divinabat, in mediterraneis regionibus maximam incolarum frequentiam reperiri. Hybernis absolutis, alterum fluvium ascenderunt, ad radices usque altissimorum montium, quos barbari vocabant *Opon*, qui secundum ipsorum opinionem supra l leuc. in latitudinem patent, asperis atque incultis jugis: hisce tamen superatis in planam & bene cultam regionem descenderunt, ubi salis copia è falsis quibusdam fontibus cogebatur; & per hanc in potentissimi Reguli *Bogotæ* provinciam penetrarunt: Qui de adventu petegrinorum jam antè monitus, fortiter quidem cum suis sese objecit, sed nullo negotio est profligatus; itaque nomine barbarorum deinceps contra ire auso, pagos incolarum diripuerunt & plurimum passim auri atque smaragdorum invenerunt; Hinc ad *Panchium* regionem transitum, qui modicis montibus à *Bogotæ* provincia disjunguntur, & assiduo cum subditis illius bellum geregant: Quumque Hispani Smaragdorum venas studiose indagarent, primum ad vallem, cui postea *Trompetæ* nomen impositum, pervenerunt, à qua xv leucarum itinere abest mons editus & arboribus prorsus nudus, è quo hæ gemmæ eruebantur. Dum in hac vallæ moras nectunt, barbari aliquot ad ipsos

A a

vene-

venerunt, qui ultro ipsis viam se commonistratos obtulerunt ad alteram provinciam, cuius Regulus *Tunia* dicebatur: quos Hispani aliquot duces secuti & *Tuniam* non opinantem interceperunt & opulentam prædam cum captivo ad Præfectum suum deduxerunt. Trium porro dierum itinere ab hac valle, duo alii Reguli *Sagamota* & *Dintama* incolebant, ad quos cum exercitu profectis, unus quidem fuga statim se subduxit, alter autem pugnam tentare ausus, nulloque negotio profligatus, ad locum à natura munitum se recepit: hic quoque opima spolia parta fuere & ad castra fuit redditum: jamque ratione spoliorum inita, se cxc*i* millia & ducenta nonaginta quatuor pezorum absolutissimi auri & supra xxxvii millia paulo deterioris, denique vilissimi quod vulgo *Faloniam* vocant xvii millia pezorum: Smaragdorum autem qua grandium, qua minitorum cl*i* l*o* ccc è præda collegisse competerunt. Porro impedimentis omnibus & præda cum idoneo præsidio in hac valle depositis, expedito itinere in *Bogotæ* provinciam profecti, regulum in latibulo suo pene oppresserunt, qui tunc quidem è manibus illorum evasit, sed postea è vulnera in vertice montis defecisse deprehensus est. Successit in illius locum *Sagipa*, qui cum Hispanis & pacem iniit & fœdus ad *Panches* conjunctis copiis subjugandos; quos deinceps magna clade contriverunt & binos eorumdem pagos incendiis deformarunt: Verum pax hæc *Sangipæ* quantocius in exitum vertit; Hispani quippe supra modum miserorum opibus inhiantes, quum *Bogotæ* thesaurum sibi à *Sagipa* appetiri postulassent, & ille aut non vellet aut non posset ostendere, infensi hominem miseris tormentis excruciatum necaverunt.

Neyba. Post illa planam regionem, in quam è summis montium jugis despectus erat (*Neybam* barbari vocabant) sunt ingressi, vicinis barbaris mira de illius regionis opulentia consulto mentientibus, ut advenas hosce jam sibi graves aliò ablegarent; sed quum eventus voto neutiquam responderet, & per densas solitudines nequicquam pervadere tentassent, ad *Bogotæ* provinciam remearunt, & per *Panchium* fines iter agentes partem illorum qua minis, qua ingentibus promissis, ad pacem cum ipsis colendam adegerunt.

Ximenius autem regioni huic jam satis, ut ipsi videbatur, Iustratæ atque dominatæ, nomen imposuit *Novi Regni Granatensis*, (quia ipse Granatæ in Hispania natus erat.) & oppidum ibidem condidit *S. Fidei de Bogota*. Jamque Hispaniam petere certus ut laborum suorum præmium à Rege impetraret; gnarusque flumen grande xxv leuc. ab hoc loco defluere, molesto illo per *Oponis* juga itinere omisso, secundo flumine descendere consultum existimavit. Dum autem se parat & montes interea nivales, qui hac transeunt, lustrat, commodum nuntiatur illi, in adversa fluminis ripa, Hispanum ducem cum suo agmine incedere; is erat *Sebastianus de Belalcazar*, qui è provincia *Popayan* digressus, hac via sibi aditum ad mare Septentrionale parabat & mox etiam alterum agmen ab oriente adventare accepit, quod à *Nicolao Vredeman* ducebatur, qui è præfectura *Veneçuelæ* huc accesserat. Atque hic inter hos tres duces haud levis controversia oborta est de harum regionum possessione, cujus tamen decisionem quum omnes Regi Hispan. deferre parati essent, quantocius singuli cum paucis comitibus, secundo flumine descenderunt & ad oceanum penetrantes, in Hispaniam navigarunt. Hoc itaque modo Novum hoc regnum primum inventum, cætera quæ instituto nostro magis convenient, jam persequemur.

C A P . II.

Novi Regni Granatensis termini, cœli solique qualitates, provinciae variae, popolorum ingenia & mores.

Her. d. 6.
l. 5. c. 5.

Novum Regnum Granatæ, quemadmodum ab Hispanis proditur, in longitudinem quidem cxxx leucas, in latitudinem vero ad summum xxx, ad minimum xx aut paulo pauciores patet. Fines habet ad orientem quidem Præfecturam *Veneçuelæ*, ad Septentrionem *S. Marthæ*, à qua vastis *Oponis* jugis dividitur, ad occidentem *Popayanam*, ad meridiem denique vastas & nondum satis cognitas regiones: distatque ab *Æquatore* tribus quatuorve aut pluribus gradibus versus

versus septentriones. Tota hac regione validè pluit; in ea reperiuntur plurimæ & densissimæ sylvæ: plurimi passim hic agunt barbari, quorum multis adhuc pessime convenit cum Hispanis. Plurima hîc numerantur armenta & jumenta; pluresque equi & mulæ ex hoc regno traducuntur ad Peruviam. Principales illius Provinciæ jam olim fuerunt *Bogota* atque *Tunia*, quæ à barbaris *Panchenibus* magna sui parte circumueinguntur. Regio autem *Panchium* intense calida est, *Bogotarum* contra frigidior aut saltem temperata: & quemadmodum isti *Panches*, ita *Bogota* & *Tunienses* uno & communi nomine *Moxæ* appellantur. A diversis autem Regulis quum primum Hispani has provincias lustrarent, regebantur: *Tunia* provincia auri venis *Tunia*.
 10 & smaragdorum copia, Bogotensem provinciam longe præcellit, licet hæc quoque divitiarum minime sit expers. Aër hîc inter frigus & calorem egregie temperatus, & maxima sui parte æquabilis, ita ut vix ullum æstatis & hyemis discrimen percipiat, ne dierum quidem noctiumque, ob æquatoris propinquitatem non nisi levis admodum differentia. Regio supra modum salubris. Domorum parietes ex asse-ribus structi, tecta gramine aut stramentis operta. Indigenæ pro farre utuntur Mayzio aut *Cassavi*, aut certis radicibus quas *Yumas*, aut rapis quas *Cubias* appellant: sale abundant, quem ad alias provincias præsertim montanas & flumini grandi proximas magno quæstu barbari traducunt; obsonium illorum ferina, cuius magna hîc copia & *Frici*, cuniculorum genus, quos barbari in præfectura *S. Martha*, *Curies* vo-
 20 cant. Volucribus haud æque abundant; pauci ibi turtures, plures anseres, quos paludes nutriunt: in fluminibus denique & lacubus plurimi atque optimi pisces ca-piuntur.

Quemadmodum autem provinciarum temperies multum diversa est, ita & mores indigenarum valde discrepant: Bogotenses enim & Tunienses, statura sunt pro-cera, & habili corpore, fœminæ quoque formosiores & candidiore colore nec ita fusco ut aliae barbaræ vicinarum provinciarum: palliis nigris, albis & versicoloribus amiciuntur, fascia circum lumbos constrictis, & alii quidem pectore tenus, alii au-tem ab humeris ad crura demissis; capillos corollis quibusdam & flotibus è gossypio artificiose contextis & coloratis redimunt; nonnulli & pileolo caput tegunt aut
 30 fascia reticulata vinciunt. Supra modum dediti sunt choreis & cantillationibus, mendaces ut fere cæteri barbari Americani, sed mediocriter industria ad artes me-chanicæ addiscendas. *Panches* vero moribus olim pravis atque adeo ferinis, antro-pophagi quippe erant, cum Bogotenses & Tunienses à feralibus hisce epulis pluri-mum abhorrent.
Panches.

Licet autem hæc regiones fere annona aliisque rebus ad vitam necessariis abun-dent, erant tamen inter eas harum rerum inopes; nam in Provincia quæ *Tunia* proxi-ma erat, indigenæ cum primò Hispani huc accederent, formicis vescebantur, easque studiose ad victum educabant. In hoc Regno multa metalla passim reperiuntur, auri (& quidem valde absoluti) æris atque chalybis. Regio præterea pascuis abun-dat, & triticum aliasque fruges, herbas & fructus Hispanienses non minus quam in-digenas benigne nutrit. Plures aliae provinciæ suis nominibus distinctæ ad hanc præ-fecturam referuntur, de quibus mox dicemus.

Denique in hac præfectura hæc oppida & municipia ab Hispanis hodie inco-luntur, *Sancta Fe de Bogota*, *S. Michaëlis* municipium, oppida *Tocayma*, *Trinidad*, *Tunia*, *Pamplona*, *Merida*, *Belez*, *Marequita*, *Yague*, *Vittoria*, *S. Juan de los Llanos*, & municipia, *Palma* & *S. Christophorus*; de quibus ordine dicemus.

C A P . III .

Metropolis S. Fe : municipium S. Michaëlis, & oppidum Tocayma.

50 **P**RINCIPALIS hujus Præfecturæ urbs atque adeo Novi Regni Metropolis, vulgo dicitur *Sancta Fe de Bogota*; sita autem est quatuor ab Äquatore grad. versus Septentriones: & LXXII grad. & xxx scrupulis à Meridiano Toletano versus occidentem ut Herrera testatur: Condidit *Gonsalvus Ximenius de Quesada*, ad radices montium *Bogota*; incolitur à familiis sexcentis Hispanorum: hîc & tribunal conventus Juridici hujus præfecturæ cernitur, & gubernator, ærarii regii præfetus,
 A a 2 cæterique

cæterique ministri degunt; hic monetalis officina habetur vel ut Hispani vocant *Casa de Fundicion*: Templum habet Cathedrale, cuius Metropolitano subsunt Episcopi, Cartaginensis, S. Marthanus & Popayanus:) duo cœnobia, Dominicanorum unum, alterum Franciscanorum: illiusque Dioecesi supra quinque millia barbarorum vœtigalium comprehenduntur: haud longe ab oppido lacus *Guatavita* jacet, ad cuius ripam barbari superioribus seculis idolis suis sacrificare, eisque multum auri, aliasque res magni pretii offerre consueverant. Aër hic valde salubris; ut oppidani testantur: Sed auri copiam hic jam frustra requiras; ob annonæ tamen omniumque rerum ad vitam necessariarum, puta panis, casei, suillæ atque bovillæ carnis, gallinarum, & omnis generis cupediarum, abundantiam hodie laudatur.

Municipium quod *Villam S. Michaëlis* vocant, distat à Metropoli *Sancta Fide* duodecim leuc. versus Arctum, in *Panchium* gratiam hic conditum, quo commodius commercia cum ipsis exerceantur, nam cum regio illorum præfervida sit, permissum ipsis erat ad Bogotam, quæ frigidior, transcendere.

*Her. d. 7.
l. 9. c. 4.* Oppidum *Tocayma* xv leuc. abest à Metropoli, inter occidentem & Corum, ad ripam magni fluvii *Pati* conditum, qui in vastum *Magdalena* alveum descendit: cœlo gaudet salubri & sicco, sereno & plerumque fudo, interdiu quidem nonnihil æstuoso, sed mane temperato & subfrigido, idque omnibus anni mensibus pene ad eundem modum. Indigenæ regionis sunt natione *Panches*, habili corpore & membris bene compositis, nisi quod fronte sint contractiore, fortes & vicinis suis terribiles; humanis carnibus quondam vescebantur, sed jam Hispanorum consuetudine mutarunt; liberales sunt & auri nequaquam appetentes; veloces & venationibus adictissimi; vindictæ cupidi; dentes nigro colore inficiunt herbæ cujusdam succo, quam assiduo in ore habent: fere nudi agunt, nisi quod fœminæ exiguo panniculo pudenda præcingant: ad ebrietatem usque ingurgitant se potionē quadam quam è Mayzio conficiunt.

Haud longe ab oppido fontes visuntur qui sulphuream substantiam eructant; arilla autem per quam scaturiunt adversus scabiem & similes affectus usurpat, præsentissimo remedio, illinitur loco affecto, deinde aqua eorundem fontium abluitur. In valle vicina etiam falsæ scaturigines reperiuntur, quarum aquæ super plantas quas irrigant, bituminis quandam speciem relinquunt, quo barbari cymbulas suas impicare consueverunt: sunt & calida hic balnea inter duos algidissimos torrentes, quæ pluribus morbis & affectibus mederi, experientia comprobatum est. Montium iuga quæ admodum excelsa, profunda nive candicant, quæ nunquam resolvitur: atque hīc Vulcanus visitur, qui sæpe flamas, semper fumum evomit & magnam cinerum copiam interdum ad octo aut decem leucas dispergit.

Ager hujus oppidi fertilis est: vitesque, ficus, aurantia mala, etiam daftylos, omnes herbas & plantas Europæas, aliosque fructus abunde producens, præterea Sacchari cannas, è quibus jam Saccharum educere cœperunt: Triticum in editioribus & subfrigidis partibus; Mayzium fere ubique bis quotannis metitur: armenta omnia juxta atque jumenta hic bene proficiunt; pecora non item: tigres vero, leones & ursi hisce animalibus grande dant damnum. Inter arbores sylvestres *Guayanæ* celebratur, quæ arbores hīc copiosè crescunt; quid multa; cedri, juglandes; quarum tamen nuclei nucibus destituuntur, aliæque arbores materiem struendis ædibus magna copia subministrant; quarum quædam tam dura sunt materie, ut nunquam cariem sentiant: Arboris autem *Zeyba* folia singulis duodecim horis & cadunt & regerminant: Herba denique è qua glastum vulgo *Anil*, exprimitur, hīc sponte crescit, sed non usurpat: de avibus & cæteris animantibus quæ cum aliis communia habet, nihil attinet dicere.

C A P . IV .


*Provinciae Musorum & Colymarum , cœli solique qualitates ,
populorum ingenia & mores.*

FINES provinciarum Bogotæ & Tunia, versus Corum claudunt provinciæ populorum qui vicinis barbaris Musi & Colymæ dicuntur: quorum regio maxima sui parte calida est atque humida, & singulis annis duas æstates totidemque hyemes perpetitur: prima æsta exordium sumit à Calend. Decembribus & in exitum Februarii durat: prima autem hyems à Cal. Mart. durat ad exitum May: à quo secunda æsta exordium sumit & ad exitum Septembris continuat, quam altera hyems deinde excipit, & reliquam anni partem occupat: non quod hæ tempestates æstu aut frigoris vicissitudine distinguantur, sed hybernis mensibus plurimum pluit, æstivis autem continuo serenat: pluit autem plerumque tota nocte, interdiu rarissime: Venti maxime tempestuosí atque infesti sunt Huracanes, qui ab Austro ad Arctum & contra perflant cum tonitribus & horrendis fulminibus. Régio montensis est & crebris amnibus & torrentibus in convallibus rigua, ciebraque uligine & paludibus impedita; annonæ copia dives, sed pascuorum indiga. Indigenæ quotidie magnum incrementum capiunt, postquam carnibus humanis vesci desierunt; habili quidem sunt corpore & membris bene compositis, sed laborum impatientes, pigri & modicæ industria; nudi agere solebant, nunc vestibus uti cœperunt; ebrietati supra modum dediti, crudeles atque avari. Unam atque communem linguam usurpant, bellicosi quandam & ex insidiis hostes suos opprimere sueti: Dæmoniorum colloquiis olim perquam familiariter utebantur, sed jam postquam Christianis sacris per baptismum initiati fuerunt, dæmonum cultum & consuetudinem penitus abjecerunt. Inter fructiferas illorum arbores excellit una quæ amygdalarum quoddam genus producit, tereti trunko quemadmodum pinus, nuces autem renes ovilas referunt, quibus amygdalæ continentur oblongæ, suavisapore & Hispaniensibus æmulo: effigiem tam integræ nucis quam amygdalæ hinc appingendam curavimus.

30

40

50



Item altera quam vocant Quaoque, quæ fructum edulem fert magnitudine ovi anserini. Inter sylvestres autem Cedri, & quas ipsi Cariuros vocant, materie dura atque coacta, supra modum ramosæ & patulæ arbores: Guayacan cuius materies lui veneræ medetur: denique Xagua quarum succus nigrum colorem inducit, licet per se

A a 3

candidus

candidus sit. *Ficus* h̄ic suavissimos & maximos fructus edunt, quippe quæ mole au-
rantium malum æquent. Hobo. Habent & arborem cuius cortices cannabes usum præ-
stant in funes contorti; & arborem quam vocant *Hobo* proceram & teretem, cuius
germina & cortices vulneribus & crurum tumoribus medentur; frondesque ex aqua
potæ alvum solvunt, & plures ejuscemodi domesticas arbores; Unam vero egregie
Aguapa. noxiām quam vocant *Aguapam*, cuius umbra ita noxia est, ut si quis Hispanus sub
illa somnum capiat, supra modum infletur, si vero nudus aliquis barbarus, etiam
disrumpatur. Peregrinæ autem arbores & ex Hispania huc traductæ, aurantiæ, li-
mones & similes, h̄ic jam abunde crescunt & optimos dant fructus; etiam vites beni-
gne alit tellus. Indigenæ in cibis ut plurimum utuntur *Mayzio*, pisis, cassavi & ba-
tatis. Quadrupedes hujus provinciæ sunt porci quidam subfuscæ, qui umbelicum in
dorso habent; aliique minores qui ab apris parum differunt; cervi, damæ, Guati-
naiæ deniq; leporibus nostris haud absimiles; Equi, oves atque capræ, quæ animalia
vermibus quibusdam ab ipso partu obnoxia sunt, ideoque h̄ic pauciora.

Denique in hisce provinciis variæ metallorum venæ reperiuntur, auri qu idem
mediocriter absoluti, sed longius ab hominum cultu ob soli humilitatem & insalu-
bitatem: argenti quoque nonnullæ, æris autem atque ferri plurimæ; & terra quæ-
dam nigra, qua barbari vestes suas tingunt. Multæ scaturigines falsæ hic passim in-
veniuntur, quarum nonnullæ in salem coagulantur, aliæ non item. Sex autem ab
oppido *Trinitatis* leuc. ingens fons visitur, quem vocant *de Tupa* è quo maxima præ-
stantissimi salis copia cogitur: mirum vero falsos hosce fontes inter dulcium aqua-
rum scaturigines veluti medios reperiri. Provinciæ denique *Musorum* & *Colymarum*,
(qui populi etiam communis nomine *Canapeyes* appellantur) patent in longitudinem
quidem leuc. xxv. in latitudinem xiii. Duæ omnino coloniæ Hispanorum huc de-
ductæ, in *Trinitatis* oppidum & municipium *la Palma*.

C A P. V.

De oppido la Trinidad, & municipio la Palma, ex Herrera,
libro IV. cap. V. Decadis octavae.

30

IN provinciis *Musorum* & *Colymarum* Hispani primum incoluerunt municipium
Tudelam dictum, ad ripam Fluminis *Zarbi*, verum ob montium vicinitatem &
indigenarum nimiam ferociam, maxime autem ob annonæ difficultatem, id pau-
lo post deseruerunt, & plerique *Petrum de Orsua* secuti sunt ducem in expeditione ad
provincias quas vulgo vocant *el Dorado*, ob auri famam. Mox haud procul ab illo
loco aliud oppidum condiderunt *la Trinidad*, sed neq; hoc ob loci incommoditatem
diu perennavit, verum aliò translatum est, ubi hodieque perdurat; situs autem hujus
oppidi jam quidem opportunus, sed ob crebros indigenarum motus, oppidani diu bel-
lo fuere vexati. Abeat hoc oppidum à metropoli *S. Fide* leucas xxiv versus Corum,
sex autem versus occasum à montibus nivalibus Novi Regni, qui ob summam alti-
tudinem atque frigiditatem vulgo *Paramo* dicuntur, & frigidam atque fervidam re-
gionem separant; sunt autem hi montes pars illorum qui inter Aquilonem atque
Africum immenso spatio porrigitur, & inde à provincia *S. Marthæ* ad Regnum
Chilense atque adeo fretum *Magallanicum* continuis pene jugis totam hanc Ameri-
cam Australem permeare creduntur. Herrera scribit, hoc oppidum septem gradibus
abesse ab Æquatore versus Arctum, & in editissimis vicinorum montium jugis
utriusque Poli indices prospici. verum si distantia inter hoc oppidum & Metropo-
lin ratio habeatur, potius ad quintum latitudinis septentrionalis gradum constituen-
dum videtur.

Zarbi. Flumen *Zarbi* quod unam circiter ab oppido leuc. labitur, satis amplum est, plu-
resque alios amnes recipit, quibus acceptis versus Arctum defluit & in angustias
coactum, inter duos editissimos montes eluctatur: *Furatenam* vocant barbari quasi
dicas virum & foeminam; *Tena* enim barbatorum illorum lingua marem significat,
Fura foeminam. In agro hujus oppidi smaragdorum venæ reperiuntur, nec non du-
rissimi crystalli & adamantium instar in varios angulos efformati; Smaragdi autem
venæ

50

venæ etiam Chalcedonii lapidis seu candidi marmoris laminis intermixtæ hic deprehenduntur. Maximam porro harum gemmarum copiam subministrat mons *Tucus*, aliisque complures unam atque alteram leucam ab oppido dissipiti. Ab *Toco* ad *Abipi* montem tres numerantur leucæ, cuius venæ infinitis & optimis smaragdis fœtæ, ob aquarum penuriam indagari desierunt; In eodem hujus oppidi agro & berilli & lucidissima crystalla effodiuntur.

Alterum harum provinciarum municipium appellatur ab Hispanis *la Palma*, anno *la Palma*.
c. 1522 demum conditum, quindecim à metropoli *S. Fidei* leucis versus corum; temperies aëris hic magis calida quam temperata.

10

C A P . VI.

Descriptio reliquarum hujus provinciæ urbium, Tunia, Pamplona,
S. Christophori, Meridæ, Belez, Marequitæ, &c.

Tunia urbs, provinciæ in qua sita est cognominis, viginti duas leucas à Metropoli *S. Fidei* versus Aquilonem, edito montis jugo imposita est, ut munimentum & receptus esset adversus vicinorum barbarorum incursus: Ager illius uti & provincia à Bogotana parum differt, tam cœli, quam soli conditione:
Urbs ipsa emporium hujus regionis primarium, & commeatus abundantia & annoneæ vilitate præcellens: cives supra ducentos equos bello idoneos educere possunt; denique Dominicani unum hic monasterium habent, & Franciscani alterum.

Pamplona oppidum sexaginta leuc. abest à Metropoli *S. Fidei* versus aquilonem, aurifodinis dives & pecorum copia nobile; & hic monasterium habent Dominicani.

Municipium *S. Christophori* nomini dicatum, triginta leuc. à *Pamplona* divergit versus septentriones, situmque est ad fines provinciæ quam vulgo vocant *Gritam*, Grita, quæ auri pene inops, sed pascuis ditissima, ideoque pecori pascendo & propagando maxime idonea: hinc oppidanis omnis quæstus.

Merida in ipso pene limite qui *Veneçuelam* & *Novum Granatæ Regnum* dividit sita, quadraginta leuc. à *Pamplona* versus Boream, octodecim autem ab ingenti lacu *Maraçaybo* (de quo in *Veneçuela* dicemus) versus occidentem; in uberrimo solo & frugum omnis generis feracissimo, nec auri planè effœto; pagum habet ad oram dicti lacus, quod oppidani fruges suas aliasque merces semel atque iterum quotannis deferunt, celocibus ad alias provincias transvehendas.

Belez oppidulum triginta leuc. septentrionem versus à Metropoli *S. Fidei*, quindecim autem abest à *Tunia*; habet monasterium Franciscanorum; ager hujus urbis, uti & vicina provincia, crebris fulgetris obnoxius est; in vicinia denique *Vulcanus* visitur qui saxorum nimbos crebro ejaculatur.

Marequita urbs, (quæ & *S. Sebastian del Oro* dicitur) triginta vel quadraginta (nam utrumque traditum inveni) leucas distat à Metropoli versus corum: campestri & piano loco sita, ad radicem montis, unde hic cœlum supra modum fervet, quum in urbe *S. Fidei* fere frigeat, mira varietate in tam exiguo intervallo. Dites hic argenti venas sub annum c. 1590 primum repertas, fama est. Distat denique hæc urbs à *Cartagena* celeberrimo Continentis hujus emporio c. 4 leuc.

Tbague urbs ad extremum limitem Novi Regni, qua *Popayanam* attingit, triginta leuc. à Metropoli *S. Fidei* versus occidentem; & hic monasterium Dominicanorum visitur.

Urbs *Vittoria de los Remedios* (ut vocant) distat quinquaginta leuc. à Metropoli versus Corum; metallorum venis ager illius abundare traditur.

Denique *S. Ioannis de Planis* oppidum, quinquaginta pene leuc. à Metropoli versus Austrum, in agro auri venarum locuplete situm, hunc catalogum urbium quæ ad præfeturam Novi Regni Granatensis referuntur, absolvet.

Accepi à Lusitano qui diu in Peruvia vixerat, in Novo Regno esse oppidum Hispanorum quod appetletur *Saragossa*, sed dubito an aliquod sit eorum quæ jam memoravimus, an diversum. Idem meminit & aurifodinarum, quas vocat de *Soruro*, sed situm illius non designat, nolui tamen præterire.

C A P. VII.

*Provinciae POPAYAN generalis descriptio, uti & particularium
Provinciarum que sub illa continentur.*

QUIA jam ante proposuimus certo ordine ad Mare Australe & Provincias quæ illud attingunt progrederi, per *Popayan* necessario nobis transendum, quæ 10 provincias Novi Regni Granatensis ad Occasum claudit. Hujus Præfecturae limites ab *Antonio Herrera* describuntur in hunc modum: In longitudinem inter d.s. l.10. c.13. Arctum atque Austrum patet leucas ducentas viginti, (licet idem in descriptione Indiæ Occidentalis tantum cxx leuc. tradat) ab extremis Provinciæ *Quitenis* finibus, ad primos Præfecturæ *Cartaginensis*: in latitudinem vero à Novi Regni limite ad mare Australe circiter centum. *Petrus autem de Cieca*, qui ipsemet hanc Provinciam obivit, longitudinem hujus Præfecturæ ducentis paulo plus aut minus leucis definit; latitudinem triconta aut quadraginta, inter mare Australe & altissimos atque asperrimos montes illi adjacentes & inter Andium editissima juga, quæ vulgo *Cordilleram* vocant: ab utrorumque jugis latæ valles declinant, multique 20 amnes in planiciem descendunt.

Solum potissima sui parte asperum & ob frequentes pluvias humidius: parum Mayzii, multo minus tritici ferax, & armentorum, pecorumque pene inops: sed auri venis opulentum. Complectitur hæc præfectura complures provincias, coeli solique natura ita dissimiles, ut de illis in communi vix quicquam dici possit, quare nobis satius est visum, cum de oppidis Hispanorum agemus, quæ in iis condita, eorum particulatim mentionem facere: hic autem de provincia propriè *Popayan* dicta, quæ huic præfecturæ nomen dedit, primum dicemus.

*Her. d.5.
l.10. c.13.* *Sebastianus de Belalcazar*, Provinciæ *Quitenis* à *Pizarro* Præfetus, cum iam anno 1535 plerasque regiones quæ eandem provinciam versus occasum claudunt ad mare usque Australe obiter lustrasset, ad eas, quæ versus Arctum præfecturam suam contingebant, adeundas animum adjecit, ut hac via aditum ad Mare Septentrionale aperiret, idque eo impensius, quia certis indiciis cognoverat, à duobus fratribus germanis *Calambaz* atque *Popayan* regionem amplissimam & auro divitem in illo tractu possideri: Omnibus ergo ad hanc expeditionem necessariis comparatis, ex oppido *Quito* ad *Otabalum* pagum est profectus, qui locus hodie limites utriusq; provinciæ dirimit: *Pastorum* & *Patiarum* populorum Reguli adventus illius gnari, copias suas in unum cogunt, acriterque venienti sese objiciunt, & agmen illius per intervalla carpentes aliquandiu remorantur: accedebat haud leve incommodum à viarum difficultate, nam per editos montes & asperrimos clivos entendum erat, & commeatus inopiâ, quem barbari consulto in saltus atque avia subduxerant: *Belalcazar* tamen hisce incommodis nihil fractus, lento itinere processit donec ad Reguli *Popayan* regionem ventum est: hic stativa habere, & milites corpora sua curare consultius visum fuit: invitabat regionis planicies & villarum copia quas barbari passim extruxerant in campis, qui ad fluminis usque ripam per quatuordecim pene leucarum spatium sternuntur, plurimis fructiferis arboribus, quas regio sponte sua producit, consiti, & præsertim *Aguacatibus*, quarum fructus saporis jucunditate plurimum commendantur; multis torrentibus & amniculis divisi, qui ab Andium jugis devoluti, limpidissimis & saluberrimis lymphis hanc amoenissimam planiciem rigant.

Licet autem primo à vicinis barbaris, qui fere anthropophagi erant, creberrime infestarentur, tamen successu temporis non modo hujus, sed & vicinarum provinciarum compotes facti sunt Hispani: atque in iisdem sequentia oppida & municipia condiderunt: *Popayan*, *Sancta Fe de Antiochia*, *Sant Iago de Cali*, *Caramantam*, *Sant Iago de Arma*, *Santannam de Anzerma*, *Guadalajaram de Buga*, *Timanam*, *Sant Sebastianum de la Plata*, *Almaguer*, *Sant Ioannem de Truxillo*, *Madrigal* sive *Chiapanchicam*,

Agredam

Agredam sive Malagam, Sant Ioannem de Pasto, Sant Sebastianum de los Paczes: quorum nonnulla Hispani postea deseruerunt, nequaquam pares tantæ ferocissimarum gentium multitudini in officio continendæ. Hæ Provinciæ hodie per Vicarium Præfæcti reguntur, quia nonnullæ Conventui Juridico Quiteñsi, aliæ Novi Regni Granatensis Diœcesi sunt attributæ.

C A P . VIII .

Urbis Popayan, & vicinarum provinciarum descriptio.

PRINCIPALIS hujus provinciæ civitas appellatur *Popayan*, à Reguli quem Hispani ibidem repererunt nomine: sita est ad altitudinem duorum graduum & triginta scrupul. ab Æquatore versus Septentriones & longitudinem septuaginta graduum & xxx scrupul. à Meridiano Toletano versus Occidentem solem, ut *Herrera* testatur: Intersecat urbem flumen limpidissimum: Cœlo gaudet salubri & bene temperato; nam toto anno hic veluti vernalis absque ulla notabili æstus frigorisve vicissitudine, dies noctesque pene æquales ob Æquatoris vicinitatem: sed unum est incommode, quod hic crebrius pluat quam alibi fere, tonitruaque & fulgura pene quotidie accident. Solum agri perfœcundum; Mayzium quod hic provenit longe excellit cæterarum Americæ regionum fruges: binæ hic quotannis tritici messes: magnaque armentorum, pecorum, porcorum atque caprarum copia & incredibilis tam domesticorum quam peregrinorum fructuum abundantia.

Indigenæ industria & civilitate morum atque affabilitate cæteros Americanos longe antecedunt. Urbs ipsa in edita planicie ædificata situ per ameno atque imprimis salubri, privata ædificia per ampla quidem, sed leviter substructa. Fries habet ad orientem vastissima Andium juga, ad occidentem vero altissimos illos montes qui ad mare australe usque pertingunt; Ad Septentriones & urbem *Cali* versus, patentissimos campos & pascua, in quibus plurimæ Hispanorum villæ visuntur, in quibus pecuariam exercent; innumeri denique torrentes & rivuli hanc planiciem intersecant ab altissimis *Andium* jugis huc se derivantes. Vice præfectus regius in hac urbe commoratur, jurisdictionem in totam provinciam exercens: est in eadem & Cathedrale templum & cœnobium monachorum, quos vocant *de Mercede*.

Dicæesis hujus urbis amplissima est, pluresque majores pagos compleætitur: ad ortum solis attingit provinciam *Guambiam* incolis atque indigenis frequentissimam; atque dein *Guançam*, *Maluasam*, *Polindaram*, *Palacen*, *Tembion*, *Colaçan* aliasque complures frequentibus incolis refertas. In hisce regionibus multum auri, (sed inferioris notæ) reperitur, perparum absoluti.

Ad *Andium* radices *Coconuci* populi patentiores valles incolunt, ubi ingenis *Magdalena* flumen è suis fontibus profluit: in editis jugis aliquot flammivomi crateres conspiciuntur: ibidemque & aquæ servidæ ebulliunt & falsæ è quibus copia optimi salis cogitur. Ad *Austrum* prætextitur hujus urbis limitibus Provincia *Guanacæ* cum pago *de las Barrancas* ut vocant & amniculo ejusdem nominis; nec procul hinc jacent pagi quos vocant *las Iuntas & de los Capitanes*: Sequitur deinceps amplissima provincia *de los Mastelos* & municipium *Patia* in amoenissima valle, quam limpidus fluviolus intersecat. Ad occidentem jungitur hujus urbis territorio provincia *Bambæ* in qua Hispanorum colonia *Chapanchica* sita est, de qua mox dicetur.

C A P . IX .

Descriptio Fluminis Magdalenaæ, ejus origo & per varias provincias decursus.

50

ANTEQUAM ad descriptionem cæterarum hujus præfecturæ provinciarum pergamus, operæ premium fuerit ingentis fluminis quod vocant *Magdalena* vel etiam *Santa Marthæ* origines & cursum hic describere, quia haud procul ab urbe *Popayan* fontes visuntur magni fluminis, quod barbari paulo inferius *Caucam* vocant, quodque infra *Mopoxium* in alterum flumen quod proprio *Magdalena* nomine insignitur,

insignitur, confluit. Nam vastum hoc flumen aquas suas accipit à duobus amnibus, quorum fontes magno intervallo à se invicem discreti sunt: Unus quippe illorum, supra urbem *Popayan*, è valle, quæ ab Andium radicibus sese explicat, (quæque à *Coconucis* populis ut jam ante diximus habitatur) juxta pagum eorundem barbarorum, quem *Cotura* vocant, crumpit, & primum modico alveo per patentissimos *Calí* provinciæ campos labitur, & mox variis rivulis, torrentibus atque amnibus, qui ab altissimis montibus defluunt, ita augetur, ut sub urbe *Calí* jam ingens & *Bati* flumini quod *Hispalin* prælabitur pene æqualis evadat: hinc dilapsus & pluribus insuper fluviis acceptis, juxta *Buriticam*, haud longe ab oppido *Santa Fe de Antiochia*, jam vastus & *Cauca* nomine Indigenis notatus (ut *Petrus de Cieca* tradit) infra oppidum *Mopoxium* cum altero amne conjungitur.

Alter autem ille oritur supra urbem *Timanam* (de qua statim dicemus) sub orientali Andium plaga, ita ut continua hæc editissimorum montium juga, utriusque amnis fontes quadraginta circiter leucarum intervallo dividant: Perlabitur autem plerasque *Novi Regni Granatensis* provincias, variis nominibus ab Indigenis insignitus; & novem sub *Mopoxio* leuc. aut *Caucam* accipit aut ab illo accipitur; atque ita conjuncti uno deinceps alveo in oceanum Septentrionalem per duo aut tria ora excent. Inter utriusque porro amnis alveos antequam confluant, multæ regiones atque provinciæ interjacent, incolis quondam frequentissimæ: ubi autem confluxerunt quam plurimas insulas patentissimo suo alveo complectuntur, quarum non paucæ à barbaris habitantur: plurimos Crocodilos atque Manatos nutriunt: denique *Petrus de Cieca* ab utriusque origine ad ostium circiter quadringentas leucas numerat.

Merces omnes Europææ adverso hoc flumine subvehuntur in tribus, quibus indigenæ jam diu utebantur, Hispani autem jam longe majores & capaciores fabri-
cant; Sunt enim plerumque in longitudine pedum sexaginta, in latitudine quatuor, unilignei tamen & non raro cedrini, portantque centum aut plures *Botias* (ut Hispani vocant) vini, duodecim remiges & annonam in viginti dies: tot siquidem diebus plerumque ascenditur ad mediterraneam stationem, quam vocant *del Angostura* haud procul ab urbe *Marequita* & (si *Herrera* non fallitur, nam plures esse oportet) viginti quinque ab oppido *S. Fe de Bogota*, leuc. hic locus à re ipsa nomen accepit, nam flumen hoc inter editum montem & modicum ex adverso collem ita coarctatur, ut ulterius ascendi ob præcipitem cursum nequeat. Reliqua hujus fluminis superiore libro absolvimus.

lib. viii. cap. xvii.

C A P . X.

Antiochiæ urbis descriptio, regionumque adjacentium: iter ab hac urbe ad Anzermam, Caramantæ oppidum.

DE S C R I P T I O N E M urbium hujus Provinciæ *Popayan*, supra à Metropoli provinciæ inchoavimus, ut distantiarum ratio, quæ ut plurimum ad hanc ⁴⁰ referuntur, liquidius constaret: nunc reliquarum descriptionem ordiemur ab *Antiochia* omnium extima ad Septentriones, & ad ipsos fines præfecturæ Cartaginensis sita, de qua longum & anceps certamen fuit inter utriusque provinciæ Præfectos, donec Regia autoritate determinaretur & hæc urbs cum agro suo *Popayanæ* Præfecto adjudicaretur. Urbs ergo *Sancta Fides de Antiochia* (ita enim ut plurimum ab *Herrera* aliisque Hispanis appellatur) condita est in valle quæ gentili nomine *Nore* dicitur, inter duo maxima & celeberrima flumina *Darienis* & *S. Magdalena* sive *Marthæ*; interque altissima & continua montium juga quæ secundum utriusque fluminis ripas longo & continuo ductu exporriguntur. Ipsa urbs in patentissima & pulcherrima planicie sita est ad ripam modici amnis: ager autem à pluribus amnibus irrigatur, qui ex hisce montibus utrimque descendunt & ut plurimum auri ramenta secum deferunt, amoenissimis fructiferarum arborum lucis undiquaque testi.

Petrus de Cieca hanc ad altitudinem vii graduum Septentrionalium collocat, duodecim à flumine *Cauca* leuc. & plus quam centum à Metropoli *Popayan* versus boream, ut *Herrera* observat. Indigenæ harum regionum placido sunt ingenio, habitu

bitu corporis decoro & colore candido: Aër temperatus atque salubris, ita ut indigenæ noctu sub dio humi conquiescant, nec ullam noxam à nocturno rore patiantur. Ovibus abundat regio & omnimodis fructibus; amnes autem magnam copiam optimorum piscium nutriunt.

Porro ab urbe hac *Antiochia*, duæ viæ producuntur, una ad *Anzermam*, altera autem ad *Cartaginem* atque *Armam*: de priori è *Cieca* Chronico jam dicemus, ut regionum situs melius elucescat. Ab *Antiochia* ad *Anzermam* septuaginta leucæ numerantur, impeditissimo & permolesto itinere, per altos & aspermos montes, nullisque arboribus vestitos: indigenæ autem procul à via habitationes suas & tuguria submoverunt.

Antiochiam egressis statim occurrit monticulus qui *Corome* aut (ut Herrera scribit) *Curume* dicitur, angustis quibusdam vallibus imminens, quæ quondam frequen-^{Corome.}
tissimæ incolis fuerunt, sed ii post Hispanorum adventum ad summam paucitatem sunt redacti, pagus adjacet multo auro opulentus, quod in vicinis torrentibus reperitur. paucæ hic fructiferæ arbores & Mayzii parca admodum messis.

Hinc transitur ad alium pagum, sub vasto & excuso monte positum, quem *Bu-* ^{Buritica.}
riticam vocant, ubi quondam metallicorum stativa fuerunt, ob auri copiam, quam hæc regio suppeditabat: constans quippe fama est, ingentem auri opulentiam quæ quondam è sepulchris *Zenu* vel *Cenu* ab Hispanis fuit rapta, ex hisce regionibus hau-²⁰
stam fuisse. Ab hoc pago amniculus originem sumit qui planiciem vel potius convallem secat, in qua hodie *Santa Fe* visitur, municipium ad jurisdictionem Antiochensem spectans, quod à metallicis incolitur, qui ditissima auri metalla hic effodiunt, haud procul ab ingenti *Cauca* alveo. Huic municipio vicinus est pagus *Xun-*
^{Xunda-}
dabe, qui à barbaris habitatur, qui eodem ingenio & moribus cum præcedentibus barbaris agunt, in frequentissimis vallibus quæ præcelsis montibus à se invicem se-
parantur.

Hinc ad *Caramante* provinciam & vallem transitur, cuius regulus, cum primum ^{Carama-}
Hispani hanc adirent, *Cauroma* vocabatur. Indigenæ hujus provinciæ haud ine-
gantes & imprimis bellicosi erant, diverso autem à præcedentibus idiomate ute-^{ta.}
bantur. Vallis autem hæc circumquaque altis & aspermis montibus cingitur, me-
diā secat fluvius, pluresque illam torrentes & scaturientes rigant, à quibus, quod mirabile est, indigenæ optimum & candidissimum salem conficiunt, præsertim ex exiguo lacu qui ibidem visitur. Ager Mayzii & radicum, quibus barbari communiter pro farre utuntur, fertilis, sed fructiferarum arborum haud æque tolerans.

Trans montes versus orientem *Cartama* provincia jacet: cuius indigenæ à Ca-^{Carta-}
ramantanis nec lingua nec moribus differunt: auro abundant; habitabant in parvis
tuguriis & fere nudi incedebant aut exiguo panniculo pudenda velati.

Sed antequam reliquam viam prosequamur, de *Caramanta* oppido pauca dicenda sunt: Distat à Metropoli *Popayan* sexaginta aut septuaginta leuc. versus Aquilonem, ad ripam *Cauca* fluminis sita; pertinetque ad conventum quidem Juridicum *Novi Regni Granatensis*, ad Episcopatum vero & præfecturam *Popayanam*: abundat Mayzio aliisque fructibus, excepto tritico, oves aut armenta habet pauca, porcorum abundè: quinque aut sex horis ab hac urbe ad *Antiochiam* descendi volunt, se-
cundo flumine *Cauca*, quod velocissime hic decurrit, cum alioquin ab *Antiochia* pene
1 leuc. absit itinere terrestri.

C A P . XI.

*Iter quod ab Antiochia Anzermam dicit, & urbis S. Annæ de
Anzermam descriptio.*

⁵⁰ **P**ERAGRATA provincia *Caramanta*, de qua jam egimus, è vestigio altissimi montes occurunt, qui septem pene leuc. in latitudinem patent, *Cima* sua ^{Cima.}
lingua appellant indigenæ, densissimo nemore undiquaque vestiti: iter difficile & impeditum, multorumque Hispanorum exitio pene infame, qui cum primum hanc viam aperirent, fame atque aliis incommodis hic interierunt: Hisce montibus superatis, primò in modicam vallem descenditur, raris incolis cultam; verum pau-
lum

lum progressos amplissima & per amoenam vallis excipit, incolis quondam frequentissima, quum primum ab Hispanis adiretur & multis magnisque ædificiis culta, abundans commeatu, & Mayzii atque radicum quibus barbari vescuntur feracissima, nunc pene deserta, postquam Hispanorum insolentia atque saevitia maximam indigenarum partem absusit, reliquos autem desertis lariibus in abrupta vicinorum montium & invios saltus sese recipere coegerit: duabus ab hac leucis, minor vallis occurrit, quæ ad montes pertingit quibus *Anzermæ* civitas inædificata est.

Anzermæ.

Hæc civitas primum *Sanctæ Anna de los Cavalleros* nomine ab Hispanis nuncupata, inter duos amnes in edito tumulo ædificata, ameno circumdata luco & omnigenis fructiferis arboribus, tam peregrinis, quam domesticis circumsepta est: natu¹⁰ra loci egregie munita & despectu in patentes undiqueaque campos adversus subitos hostium incursus satis tuta: vicina loca à plurimis indigenarum pagis occupantur. Solum cui urbs superstructa olim ab Indigenis *Vmbra* dicebatur, sed *Sebastianus de Belalcazar*, quum provincias hasce primum lustraret & inopia interpretum laboraret, deprehendens salem ab indigenis *Anzer* vocitari, provinciam *Anzermam* appellabat, quod nomen postea tam provinciæ quam urbi huic mansit. Quatuor ab hac urbe leuc. versus occidentem, pagus quidam jacet modicus, raris sed permagnis ædificiis, & frequentissimis incolis incultus, juxta amniculum, qui leucam circiter progressus in *Caucam* se condit. Indigenæ eadem lingua qua Caramantani utuntur, insigni olim feritate & humanorum viscerum pastu abominabiles. E²⁰ monte qui huic imminet, aliquot torrentes descendunt aureis arenis celebres, quæ non modo ab Indigenis, sed & à Nigris, quos Hispani adduxerunt, magna copia hinc hauriuntur.

Gopia.

Copia provincia huic proxima est, quam fluvius aurifer secat, nunc frequentibus Hispanorum prædiis obfessus; ab una parte *Cartama* provinciæ jungitur, per quam *Cauca* labitur: ab altera vero *Pozo* provinciam attingit & cum ejusdem incolis dives commercium exerceat: Qua autem *Anzermæ* civitas orientem adspicit, multi magnique sunt barbarorum pagi: erat ea gens imprimis culta neque tam appetens humanarum carnium, & ante Hispanorum adventum auri ditissima; malos angelos sua lingua *Xixaramas*, Hispanos autem *Taramacas* vocabant; omnis illorum regio³⁰ montensis est atque edita, pauci colliculi, planicies admodum rara.

Denique hæc civitas *Sancta Anna de Anzermæ*, ut nunc vulgo vocatur, tradente *Herrera*, quinquaginta leuc. abest ab oppido *Popayan* versus Aquilonem, ad cuius præfecturam atque Episcopatum pertinet; cæterum à tribunalí *Novi Regni Granatenſis*, *Audientiam* vulgo vocant, jus petere consuevit. Temperies aëris præfervida, crebrisque fulguribus obnoxia; solum nec pecoribus bonum nec frumenti ferax, sed auri venis nobile. Quicquid inter hanc urbem & mare Australe terrarum interest, frequentibus Indorum pagis atque municipiis occupatur, ubi flumen *Darienæ* oriri constans fama est.

C A P. XII.

40

Iter ab Antiochia ad urbem Armam; provinciarum quæ interjacent situs atque conditio: urbis Armæ descriptio.

Ab *Antiochia* ad urbem *Armam* tendentes, primo ad magnum flumen quod Indigenis *Cauca*, Hispanis *S. Martha* dicitur, duodecim leucarum itinere procedunt: deinde flumen cymbis trajiciunt, quæ frequentes in illis locis reperiuntur, licet rariores indigenæ ripam accolant & minutioribus pagis, quia maxima pars barbarorum domicilia sua longius à via removit. Hinc paucorum dierum itinere pervenitur ad pagum (*Pueblo Llano* vocant Hispani) olim indigenis frequentem: Indigenæ statura sunt brevi & olim pene nudi agebant, præter fœminas quæ panniculo lumbos præcingebant; Salem præcipuo loco habent, neque alia ipsi merces, licet torrentes & amniculi auro imprimis abundare dicantur. *Mugia* pagus salis proventu opulentus nonnihil à via remotior est.

Aburra.

Ab hoc ad orientem flectentes vallis *Aburra* excipit, trans Andes sita, qui hic facile & unius diei itinere superantur: hæc vallis in peramœnam planiciem sternitur, solum

solum illius uberrimum & multis amniculis irriguum: Indigenæ illius sævitiam Hispanorum tantopere exhorruisse dicuntur, ut tam fœminæ quam mares magno numero vitam voluntario suspendio finirent. Porro è *Peublo Plano* via dicit ad *Cenafaram*, amplissimum vicum, & opulentissimis sepulchris, si famæ fides, nobilem: & ab hoc ad alium vicum quem appellant *Peublo Blanco*: à quo ad *Armam* tendentibus flumen *S. Marthæ* ad dextram relinquendum est. Omnis hæc regio usque ad magnum flumen, olim ad urbem *Cartaginem* pertinebat, donec altera urbs hic conderetur, primo quidem supra montem in ipso provinciæ *Armae* aditu; deinde quia Hispani hic jugiter à barbaris infestabantur, & annonæ difficultate ob 10 mœrii angustias laborabant, in planicie, inter duos minores amnes, juxta palmetum imprimis fructiferum; adeo ut hodie hæc urbs absit à magno flumine 11 leuc. ab urbe *Cartagine* xxiii, ab *Anzerma* xii, denique à Metropoli *Popayan*, ut *Herrera* prodit, quinquaginta versus Aquilonem. Solum hujus regionis fertilissimum, sed valetudine habitantium infame habetur, quotannis binæ hic Mayzii messes & uberimæ. Auri metalla hic opulenta, imprimis ad ripas magni fluminis.

Arma provincia, à qua huic oppido nomen impositum, latissime patet, incolarumque frequentia & divitiis vicinas provincias longe præcedit. Indigenæ domicilia rotunda & in fastigio in orbem stramentis testa habitabant. Decem in longitudinem, sex septemve in latitudinem leucas hæc provincia patet, maxima sui parte 20 montensis & fructiferarum arborum lucis opaca, quæ delicatissimos fructus ferunt, inter præcipuos autem illum quem vocant *Pytahaian*, cuius hæc est qualitas ut urinam tingat colore plane sanguineo, sine noxa tamen. Ab his montibus cebri amnes descendunt, & inter illos, quem Hispani *Rio de Arma* vocant, hybernis mensibus rapidus & trajicientibus periculosus, cæteri minores sunt. Ad orientem altissima Andium juga huic provinciæ prætenduntur.

Oppidum *S. Iacobi de Arma* (inquit *Herrera*) auri fodinis dives, conventui Juridico Novi Regni Granatensis accensetur, præfectum autem atque Episcopum Popayanum agnoscit, tritici atque adeo omnium peregrinarum frugum inops, sed Indici farris opulentum. Indigenæ vicinarum regionum humanas carnes avide appetunt, adeo ut idem *Herrera* testetur, supra octo millia barbarorum & Hispanorum ab 30 ipsis immaniter devorata, postquam hoc oppidum habitari cœpit.

Magnæ provinciæ *Arma* limites transgressos *Paucura* excipit, fertilissima provincia, soli ubertate & Mayzii aliarumque frugum feracitate nulli secunda: Indigenarum lingua ab Armanorum idiomate multum diversa est; Auri metallis haud æque abundat; fecat illam modicus amnis, varique torrentes.

Huic proxima est provincia *Pozo*, cuius indigenæ lingua atque moribus cum *Pozo*. Armanis consentiunt: ab una parte ingenti flumine *Cauca* alluitur, ab altera *Carrapa* & *Picara* provinciis clauditur: abundat auri metallis, præsertim juxta magni fluminis ripas & in ipso Pozensis pagi agro.

40 Pozeni provinçiae ad ortum prætenditur *Picara* amplissima provincia atque incolis frequens, qui Paucuranorum idiomate utuntur: clauditur autem ad ortum vastis Andium jugis, ultra quæ *Arbi* provinciam esse testantur indigenæ, nam Hispani nondum ulteriora lustraverant, cum *Petrus de Cieca* scriberet, quem hic secuti sumus.

C A P. XIII.

De Provincia Carrapa, Quimbaya, atque urbe Cartagine.

50 **C**arrapa provincia duodecim leuc. abest ab urbe *Cartagine*, solo edito atque Carrapa. aspero, non tamen montoso, præterquam ea parte qua altissimis Andium jugis tegitur, à quibus exiguae valles & planicies subsidunt, multis torrentibus atque amniculis riguæ, quorum tamen aquæ nequaquam tam limpidæ aut sapidæ sunt quam in præcedentibus provinciis: indigenæ obeso sunt corpore & facie oblonga, olim auri divites.

Carrapam excipit *Quimbaya* provincia, in qua *Cartago* condita viginti duabus leucis ab oppido *Arma*. Patet hæc provincia in longitudinem quidem quindecim leuc. in Quimbaya.

latitudinem decem, à flumine *Cauca*, ad summa Andium juga; tota pene crassis & procerissimis arundinibus obsita est, è quibus indigenæ ædes suas substruunt. Nivales montes sive summa Andium juga ab hujus provinciæ pagis absunt leuc. vii, in quorum vertice Volcanus cernitur, qui crassum fumum exhalat; ex his itidem plures amniculi oriuntur, quorum celeberrimi *Tacurumbi* & fluvius *de la Cegue*, qui propter oppidum labitur, pluresque alii, in quibus plurimum auri repetitur; inter hosce amniculos & scaturigines, quædam sunt salsaæ. Plurimæ hic fructiferæ arboreæ, tam eæ quas regio sponte producit, quam quas Hispani intulerunt. Aër hic admodum salubris, neque frigidus neque ferventior, ita ut Hispani hic degentes raro à morbis tententur & diu vivant. Plurimas apes alit, quæ in concavis arborum truncis aut arundinetis mellificant. Multæ hic arboreæ quæ fructum ferunt, quem vocant *Caymito*, persici mali magnitudine, intus nigrum & minutis granulis refertum & succo ita lento, viscoso atque tenaci ut difficulter abluatur: nec non *Aguacates* & *Guayavæ*, quarum quædam fructus ferunt acidulos instar limonum, odore atque sapore pergrato. In arundinetis multæ feræ nidulantur, ingentes leones & animalculum illud quod catulos suos in fuscculo circumfert, quod hic indigenis *Chuca* dicitur; plures *Cervi*, cuniculi & *Guaduinaies*, leporibus paulo majores, carne & optimi saporis & nutrimenti; & ejusmodi complures.

Caymito.

Urbs *Cartago* in planicie sita est, inter duos torrentes, septem leuc. à magno flumine *Cauca*, ad ripam amniculi, cuius limphas Hispani potant: unum in illa monasterium fratrum minorum: itinera undiquaque impedita ob profundas uligines & coenam, nam maximam anni partem hic pluit, & creberrime fulgurat: Unam aut paulo amplius ab urbe leucam, amniculus decurrit, quem vocant *Consota*, juxta quem lacus modicus jacet & fons salsa è quo indigenæ præstantissimum salem coquunt. Abest autem *Cartago* (ut Herrera testatur) à Metropoli *Popayan* viginti quinque leuc. versus Aquilonem, pertinetque ad Conventum quidem Juridicum *Novi Regni Granatensis*, ad Episcopatum vero & præfecturam *Popayanam*: ager illius neque triticum neque ullum far Hispaniense producit; armentis vero atque jumentis pascendis egregie est opportunus; auri pene inops; cæterum cœlo & temperato & salubri.

Cartago.

Qui ex hac urbe ad oppidum *Cali* profiscuntur, primo arundinetum transeunt ad flumen *de la Veja*, (hybernis mensibus perdifficilem trajectu,) leuc. iv: deinde ad *Caucam* leuc. unam, quem ratibus aut lintribus trajiciunt; Hic jam duæ viæ in unam coeunt, nimurum ea quæ à *Cartagine* descendit & illa quæ venit ab *Anzerma*. Distantia denique inter *Cartaginem* & *Cali* quadraginta quinque leuc. inter *Anzermam* & *Cali* quinquaginta definitur.

C A P. XIV.

Oppidi Cali descriptio & vicinarum provinciarum; & de portu ad mare Australre, qui Bonaventura dicitur.

40

OPPIDI *Cali* conditum est in plana valle ad radices altissimorum montium, quatuor ab æquatore gradibus versus Septentriones, viginti duabus leucis à Metropoli *Popayan*, viginti octo leuc. à mari Meridionali, una tantum à magno flumine *Cauca*, ad ripam alterius amnis, qui è montibus, qui oppido imminent, descendit: nisi temperies aëris hic admodum fervida esset, inter saluberria totius Americæ loca numerari posset: incolis nihilominus satis frequens est, nam Præfectus totius Provinciæ & alii regii ministri hic plerumque habitant & ditissima commercia hic exercentur. Duo hic monasteria, unum Augustinianorum, alterum fratum quos vocant *de Mercede*. *Sebastianus de Belalcazar* oppidum hoc primum collocaverat inter populos quos Hispani appellabant *Gorrones*: cuius nominis hanc originem produnt; Hispani linguæ barbarorum ignari, quum pisces ab hisce populis *Gorron* audissent nominari, idem nomen populis imposuerunt; sicuti jam ante in *Anzerma* factum fuisse notavimus.

Porro ut hujus provinciæ in qua *Cali* hodie habitat, atque adeo adjacentium

tum regionum situs & qualitas melius cognoscatur, è *Petro de Cieca*, descriptio-
nem hujus regionis paulo altius repetemus. Infra oppidum *Popayan*, altissimorum
montium ordines sese incipiunt diducere & vallem quandam exporrigere, quæ
initio angustior, paulatim ita dilatatur, ut duodecim leucas in latitudinem tan-
dem pateat, rursusque per intervalla ita arctatur, ut denique flumen, quod vallem
permeat, intra editos utrimque montes ita concludat, ut alveo veluti contracto
perniciter inter obstantes & imminentes scopulos eluctetur, nullisque cymbis aut
ratibus hic transiri possit, sed magis vortices agat, qui omnia in profundum attra-
hant & superfluitantia evertant. Ab his angustiis vallis *Cali* sese pandere incipit,
10 plurimis pagis & magna populorum frequentia jam olim culta; verum postquam
Hispani harum regionum potentes facti sunt, maxima horum populorum pars exci-
sa est & pene ad internectionem deleta; pauci autem qui supersunt, ad montanam quæ
versus occidentem hanc vallem concludunt, se receperunt, de quibus paulo post
dicetur. Hanc vallem ad Arctoam plagam attingit altera provincia, quæ fines suos
cum *Anzema* dividit, cuius indigenæ superiori seculo *Chanci* dicebantur; gens Chanci.
procera admodum statura, ita ut è gigantium prosapia haud immerito descendere
judicarentur, facie oblonga & patenti fronte.

In vicinis montibus, qui à vastis jugis, (quæ vulgo *Cordilleram* vocant & ad oc-
cidentem ab hac valle sita sunt,) sensim declinant & in vallibus quæ inter eosdem sese
20 aperiunt, *Gorrones* isti, de quibus ante dicebamus, incolebant tribus aut quatuor
leucis à valle *Cali* & magno flumine, frequens natio, pauxilli idque vilioris auri com-
pos, quæque ut plurimum piscibus, quos in vicinis amnibus certis anni tempesta-
tibus capiebant, vicitare consueverat. Horum provincia hodieque ad agrum urbis
Cali pertinet: Mayzii aliarumque frugum & fructuum variorum satis fœcunda.
Multi hic cervi, *Guadquinayæ* aliæque ejusdem generis feræ; volucrum quoque co-
pia. Maxima autem vallis *Cali* licet valde fertilis, tamen magna sui parte vasta & in-
cultu jacet & ferarum tantum latibulum est, ob paucitatem oppidanorum, qui tam
latis agris colendis minime sufficiunt. Porro ad oppidum *Cali* tendentibus primum cali.
convallis transeunda, trium leuc. spatio, dein fluviolus trajiciendus, ad utramq; ripam
30 denso luco tectus, qui & perniciter admodum defluit & pro montium è quibus effluit
conditione egregie alget, unde & nomen apud Hispanos invenit, *Rio Frio*; denique
postquam magnam hujus *Calensis* vallis partem permeavit, condit se in magnum flu-
men. Hoc fluviolo trajecto patentes campi adeuntur, in quibus Hispani prædia sua
& villas habent, ibidemque per servitia gnaviter pecuariam exercent: ager autem
omnis pluribus arboribus fructiferis amœne admodum consitus est.

Ab oppido *Cali* versus occidentem & montana, plures vici incoluntur à barba-
ris qui oppidanis subjecti sunt & vestigales; ingenio facili, sed industria tantum me-
diocri. Quinque autem ab oppido leuc. alia vallis sita est, (quam vocant *Lilen*,) Lile.
Mayzii & Jucæ perfœcunda, fructiferis arboribus plena; medium secat amniculus,
40 ad cuius ripam variis fructus crescunt, præcipue autem sapidissimæ & beneolentes
Granadilla. A qua porro versus Oceanum Australem, *Timba* populi, valles quasdam *Timba*.
profundas, inter excelsos, asperos atque incultos montes, incolunt, quæ fructiferis
arboribus plenæ sunt & Mayzii aliarumque frugum proventu abundantes: barbari hi
primis illis temporibus plurimos Hispanos neci dederunt.

Præter hasce provincias de quibus jam egimus, sub Dioecesi oppidi *Cali* adhuc
longe plures comprehenduntur, præsertim montanæ, ubi variis populi inter editos
& aspermos montes, valles quasdam & declivia loca habitant, omnibus rebus ad
victum necessariis sufficienter instructi: in saltibus autem & præcipitiis montium la-
tent varia animantia hominibus juxta atque aliis animalibus infesta: præsertim tigres
50 quæ multos barbaros & non paucos Hispanos, qui hac iter ad mare aut à mari agunt,
dilaniaverunt.

Trium autem dierum itinere, trans asperos & incultos montes multis palmarum
nemoribus obsitos & paludibus tristisque uligine in convallibus squalidos, portus
Bonaventurae aditur, xxx ab oppido *Cali* leuc. ad cuius Dioecesis pertinet: tribus *Bonaventura*.
gradibus & triginta scrup. ab Æquatore versus Arctum ut *Herrera* testatur. Pau-
cæ hic Hispanorum familiæ habitant, in eum maxime finem, ut merces quæ

è *Nova Hispania* aut aliunde hic appellant, accipiant & ad *Popayan* & alia oppida submittant. Locus valde humidus & insalubris judicatur, situs quippe in gremio profundi sinus, quem vulgo *Bahiam de Bonaventura* vocant: tota autem regio circumvicina altissimis & incultis montibus aspera est, ubi pene continuo pluit, ita ut varii amnes hinc prodeant qui omnes in mare Australe descendunt; unus autem in ipsum portum: Denique portus hic absconditus, & ostium illius inventu atque aditu perdifficile, nisi cum peritissimo nauclero. *Petrus de Cieca* scribit, unicum remedium esse merces ad oppidum *Cali* subvehendi, eas barbaris succollandas & bajulandas tradere, nam propter locorum asperitatem & viarum difficultatem nullus hic jumentorum usus est: licet secundum ripam fluminis *Dague* nonnunquam equis vectentur, sed hi tam miserum in modum fatigantur ut nullius postea pretii sint: barbari autem hīc onus trium aut quatuor arobarum (*Aroba* Hispanis est pondus vinti quinque aut paulo plurimum nostratum librarum) portare solent; quinetiam mares, foeminasque in portatili sella locatos, per impeditissima loca, per montes & trans flumina, super humeros suos bajulant, nullo suo emolumento, quum merces omnis heris ipsorum, Hispanis nimirum cedat.

C A P. XV.

Iter ab oppido Cali ad Metropolin Popayan, & regionum interiacentium qualitates.

20

Ab oppido *Cali*, ut supra diximus, ad Metropolin hujus Provinciæ viginti duæ numerantur leucæ, expedito satis itinere, per campestria ut plurimum, absque ullis montibus, & per colles modicè editos & nequaquam asperos aut difficiles superatu. Ab oppido siquidem *Cali*, primo profiscendum est per campos & planiciem, quæ ab aliquot tenuibus amniculis intersecatur, donec perveniat ad modicū amnem, qui vulgo *Xamundi* appellatur, cujusque ripæ ponte ex majoribus cannis constrato conjunguntur, quem homines transfire solent, jumenta autem vadō traducuntur. Juxta fontes hujus amniculi, barbari quidam degebant, quorum regulus *Xamundi* dicebatur, à quo genti huic & fluento nomen primis illis temporibus inditum fuit, quod hodie manet. Hi olim commercia cum *Timbis* populis quorum supra meminimus exercebant & abundabant multo auro, quod omne Hispani, quibus commendati, id est, inservitatem traditi fuere, ipsis eriperunt. Ab hoc amniculo ad magnum flumen quod inferius *S. Magdalena* appellatur, quinque sunt leucæ: Id autem ratibus aut uniligneis lirtribus facile transitur, ope barbarorum qui ripas accolunt. Utraque autem hujus fluminis ripa à frequentibus barbaris olim fuit habitata, qui nunc ad summam paucitatem redacti sunt, partim eorum & propria feritate, qua alii alias maestabant & devorabant, partim Hispanorum crudelitate & bellicis cladibus: qui autem superant, ad easdem ripas degunt & *Aguales* (gentili nomine, an ab Hispanis invento, non dixerim) vulgo appellantur & hodie oppidanis Caliensibus vectigales sunt, eisque serviunt.

Aguales.

Piandamo fl.

Guambia.

A trajectu autem magni hujus fluminis ad Metropolin *Popayanam* quatuordecim sunt leucæ: Superato quippe flumine, palustria loca & uligine impedita transeunda sunt, sed vix quartæ leucæ partis spatio: reliqua itineris expedita sunt & plana usque ad alterum fluvium, quem vocant *de las Ovejas*, qui æstate quidem nullo negotio, hyeme vero cum summo discrimine transitur, tum propter alvei ipsius altitudinem, tum maxime quia vadum illius tam brevi intervallo distat à magno flumine, quod hunc quoque in se admittit: plures hic tam barbari quam Hispani absorpi interierunt.

50

Ab hoc porro sex leucas per editam planiciem expedito & facili itinere progressis alius rursus fluvius occurrit, quem *Piandamo* vocant: hunc itidem multi mortales olim accoluerunt, qui ob causas quas jā sèpius indicavimus, hodie aut interierunt aut aliò, ut tyrannidem advenarum effugerent, in abdita aut asperos montes commigrarunt.

Ad ortum ab hoc fluvio sita est provincia *Guambia* pluribus vicis barbarorū culta. Deinceps & alius amniculus transitur, *Placa* vulgo dictus, juxta fontes & ad utramque ripam

ripam accolis frequens; & jam secundo magnum flumen *Magdalena* & quidem vado, quia hic non supra dimidiā orgyam altum deprehenditur. Ab adversa ripa ad oppidum *Popayan* ager omnis amoenissimis villis & prædiis Hispanorum egregie cultus est, ubi & sementem faciunt & pecuariam exercent. Multi rivuli ab Andibus devoluti hos campos rigant, in quorum nonnullis olim auri ramenta fuerunt reperta. Hæc regio quondam multos barbaros aluit, qui jam penitus defecerunt. Denique hæc via ab oppido *Cali* ad Metropolin *Popayanam* frequentissimè usurpatur, nam si *Herrera* credimus, nulla commodior aut expeditior reperiri potest, ad merces è provincia *Venezuela*, & omnibus aliis quæ ad mare Septentrionale sitæ sunt, ad hanc *Popayanam* Metropolin, & porro ad *Peruviam* & *Chilen* subiectandas.

C A P. XVI.

Iter quod ab oppido Popayan ad oppidum Pasto dicit, Provinciarum intermediarum qualitates; Populorum mores: oppidum Pasto.

Ab oppido *Popayan* ad urbem *Pasto* tendentibus, primo fines *Conconucorum* transeundi sunt, de quibus populis jam ante diximus cum de Metropoli age-remus: quibus superatis, vallis *Patia* quam magnum flumen perlabitur, sen-*Patia*.
20 sim angustatur, & occurrit pagus olim amplissimus & barbarorum incolatu frequens, ac ne nunc quidem infrequens, licet bona pars indigenarum hodie domicilia sua ad montana, quæ ad occidentem proxima sunt, transtulerit: Hispani nominant hunc pagum *Pueblo de la Sal*; ejus incolæ ditissimi fuerunt & plurimum probi & absoluti auri heris suis atque dominis contulerunt.

Paulo ultra hunc pagum incipit provincia barbarorum quos vulgo vocant *los Ma-
estros* & juxta illam provinciam *Abadum*, quorum pagi sunt *Tsancal*, *Pangam* & *Za-
campus*; itemque *Chorrorum* populorum regio & denique *Pichilumbuy*: quin & ad occi-
denter ab hoc pago plurimi populi & gentes incolunt, ad oram Maris Australis usque; & regionem hanc auri venarum haud expertem esse, vulgo creditur. Multi
30 hic pagi juxta sparsi, *Asgual*, *Mallama*, *Tucurres*, *Capuyes*, *Iles*, *Gualmatal*, *Funes*, *Chapal*, *Malos* & *Pyales*, *Pupiales*, *Turca* atque *Cumba*. Omnes hi pagi & eorumdem Reguli, olim communi nomine *Pasti* dicebantur, à quibus oppidum quod hodie hic vi-
sunt nomen suum mutuavit. Hisce autem pagis & populis, alii item barbari ad orientem finitimi sunt, quos vocant *Quillacingas*, quorum præcipui pagi sunt *Mo-
condino* & *Bexendino*, *Buizaco*, *Guajanzangua* & *Moxoconduque*, *Guaquanquez* atque
Macaxamata: Et adhuc magis versus ortum ampla & mediocriter fœcunda provin-
cia sita est, quæ *Cibundoy* dicitur: Cui adjacet pagus *Pastoco*, itemque alter haud
longe à ripa lacus, qui summitatem editissimi montis ad leucas circiter octo in lon-
gitudinem, & pene quatuor in latitudinem occupat, adeo frigidus ut aquæ illius
40 nullos plane pisces nutrit, nec à lacustribus volucribus facile adeantur: Solum
quoque in ambitu plane effectum ita ut neque Mayzium producere, nec ullam arbo-
rem fructiferam alere queat.

Porro omnis *Pastorum* ager Mayzii quidem atque frugum infœcundior est, præterquam avenæ, quam benignius tolerat; sed pascuis satis latus, unde hic quamplurima armenta pascuntur, imprimis autem ingentes porcorum greges. *Papa* radices, *Xiquimæ* & sapidissimæ *Granadilla* hic abunde crescunt. *Quillacingarum* autem
ager Mayzii & aliarum frugum atque fructuum fœcundissimus est.

Novem vero ab oppido *Pasto* leuc. fluvius labitur quem Hispani *Rio Caliente* vo-
cant, cuius aquæ supra modum commendantur; hybernis autem mensibus ita in-
50 flatur, ut perdifficulter transiri possit. Hoc fluvio trajecto, altissima montium juga
ascendenda trium circiter leucarum spatio, dein rursus in planiciem descenditur &
per solitudinem iter agitur, ubi acriter friget: qua emensa ad editum montem per-
venitur, cuius vertex densum fumum ut plurimum exhalat; hunc Vulcanum ad dex-
teram relinquunt, quibus à *Popayan* ad *Pasto* oppidum iter est.

Pastorum denique regionem alias præterea fluvius interluit, vulgo *Angasmayo*, ea-
re potissimum celebris quod olim regni Peruani limes fuerit ad Arctum, quemad-

modum fluvius *Maule* in provinciis Chilensibus ejus limitem clausit versus Meridiem, dum Ingaram imperium maneret.

Oppidum *S. Ioannis de Pasto*, abest à Metropoli *Popayan* versus Africum leucas quinquaginta, ut *Herrera* affirmat, vel quadraginta ut *Petrus de Cieca*, quod veritati & itinerum rationibus magis convenit: à Metropoli autem *Quitensi* versus Aquilonem leucas quinquaginta, vel ut *Didacus Fernandez* vult, quadraginta: à mari denique australi leuc. quadraginta secundum *Herreram*. Uno ab Äquatore gradu versus Arctum. Conditum est autem in pulchra & amoenissima valle, quam fluvius limpidissimæ & optimæ aquæ interluit, præter alios quamplurimos rivos & torrentes, vallem *Atris* olim appellabant: fuitque incolis satis frequens ante Hispanorum ad-¹⁰ ventum, qui jam ad montana sese receperunt: solo edito undiquaque cincta est, quod partim in colles assurgit, partim in convexam planiciem sternitur. Hispani hic multas villas & rustica prædia habent, in quibus pecuariam exercent: ad ripam vero fluvii etiam tritici & Mayzii sementem faciunt. Omnis autem regio *Pastorum* subfrigida est aut saltem temperata & quidem frigidior æstate quam hyeme, uti hic anni tempestates distinguunt, quod & in oppido locum habet: cæterum salubris & maxima sui parte aut fecunda aut pecori optima: Auri venarum haud expers credita. Regiones quæ oppidum à Meridie contingunt proximo libro prosequemur, ubi de *Peruvia* agetur. Denique ad Diœcesim hujus oppidi supra viginti quatuor millia barbarorum pertinere refert *Herrera*, qui Hispanis vœtigal & operas gratui-²⁰ tas debent: ab humanis carnibus etiam dum gentiles erant abstinebant, cæterum nec habili corpore nec urbano ingenio, sed sordidi, bardo ingenio, & industriâ pene nullâ.

C A P. XVII.

Reliqua oppida & Municipia hujus Praefecturae.

REQUIA hujus praefectoræ oppida hæc sunt. *Timana* urbs quadraginta leuc. à Metropoli *Popayan* versus Eurum, sexaginta ab oppido *S. Fe de Bogota*, ad initium vallis quæ *Neyva* dicitur & ab altissimis Andium jugis (quæ vulgo³⁰ *Cordillera* dicuntur & omnem hanc Americam uti ante diximus peragrant) ad orientem sita est, in regione æstuosa. Cæterum provincia *Timana*, à qua urbi nomen est, persalubris est & optimis aquarum fluentis irrigua, pascuis lata & armentis pa-scendis peropportuna. Oppidanorum & incolarum præcipuus hodie quæstus est, omnimodos fructus, qui hic longe optimi passim crescunt, saccharo aut melle, quod hic maxima copia in concavis arborum truncis reperitur, condire; imprimis autem è nucibus quibusdam quæ amygdalarum saporem æmulantur, cupedias quasdam placentarum in modum efformare; quæ omnia ad *Almaguer* oppidum venum portant. Hic quoque quamplurimi sunt horti & viridaria in quibus *Cocam* tanto-pere omnibus hujuscæ Americæ populis expertitam, magna cura excolunt. Abun-⁴⁰ dant & *Pita* quam in tenuissima fila ducere singulari industria consueverunt, quæ in magno ubique sunt precio. Oppidum valde salubre est & incolæ illius longævi. Subpraefectus provinciæ hic habitat, cui & oppidum *S. Sebastiani de la Plata* attribuitur. Haud longe ab hoc oppido abest mons quidam in cuius visceribus magnetem reperiri testantur.

Valco-nes.

Paezes.

*Pixa-i.
Manipi.*

Buga.

Provinciæ hujus terminos contingunt *Talcones*, ferox & pugnax natio, quæ vallem *Aquirgam* possidet: hanc vallem claudit *Paezium* populorum provincia.

Hi populi à præcedentibus ingenio & moribus nihil discrepant & jam olim Hispanis qui urbem *Timanam* incolebant gravia damna intulerunt; & oppidum *Neyvam*, quod in eadem provincia viginti ab oppido *Timana* leuc. conditum fuerat, deserere coegerunt: idem quoque *Paezes* cum vicinis *Pixaïs* atque *Manipis* urbem *S. Vincentii* quam Hispani in *Paezium* provincia moliebantur sexaginta leuc. ab oppido *S. Ioannis*, ut vocant *de los Llanos*, in finibus præfecturæ *Popayanæ*; & villam *de los Angeles* novem ab oppido *Neyvæ* leuc. viginti duabus à *Tocayma*, vastarunt & colonos Hispanos procul à suis finibus submoverunt.

Oppidum *Guadalajara de Buga*, in valle *Buga* situm est, à qua & agnomen mutua-tur,

tur, quindecim leuc. à Metropoli *Popayana* versus Boream, intèr summa Andium iuga (ut Petrus de *Cieca* testatur) quæ provinciam *Popayanam* à vallibus *Neyvae* dividunt: Incolæ hujus oppidi jus quidem accipiunt à Conventu Juridico *Quitensi*, sunt autem sub præfectura *Popayana*, illiusq; Episcopum agnoscunt in causis Ecclesiasticis.

Oppidum *S. Sebastiani de la Plata*, situm est in limite præfecturæ *Popayanæ*, triginta quinque leucis à Metropoli *Popayan*, triginta leucis ab oppido *S. Fe de Bogota* versus Africum: in hujus agro multæ sunt argentifodinæ, à quibus oppidum cognominatur; indigenæ autem provinciæ in viginti quatuor tribus partiti sunt, *Repartimientos* vocant Hispani, quarum singulæ dominis suis Hispanis tributum pendunt & gratui- tam operam præstant. Abest porro hoc oppidum tres leucas à portu mediterraneo ad ripam magni fluminis *Magdalena* sito, quem vocant *Ondam*; ubi cymbæ quæ mer- ces ad hanc præfecturam adverso flumine ab urbe *Cartagena* & præfectura *S. Martha* subvehunt, onera sua exponere solent. Conditum est oppidum in patenti campo ad ripam fluvii *Guali*; terræ motibus admodum obnoxium est, & hyeme hic magis æstuat, quam alget: indigenæ fere omnes ad internectionem deleti sunt à vicinis barbaris, quos vocant *del Rincon*; qui illos ex insidiis captos abripiunt, maestant & in pu- blicis macellis suis carnes illotum venales prostituunt; neque huic malo hactenus ab Hispanis potuit obviam iri.

Urbs *Almaguer* sita est viginti leuc. à Metropoli *Popayan* versus Eurum, super Alma- planum & incultum montem; aët hic frigidiusculus sed amoenus: indigenæ gossypi- nis vestibus amiciuntur: ager vicinus tritici, Mayzii & aliarum frugum atque fru- ctuum perfœcundus: pecorum & armentorum magna hic copia; denique opulen- tissimæ auri venæ hic repertæ, quæ hunc locum plurimorum concursu frequentio- rem fecere.

Oppidum *S. Ioannis de Truxillo*, quod barbarorum lingua *Tscance* dicitur, distat s. Joān. triginta leuc. à Metropoli *Popayan* versus Eurum; incolarum numerum aut opes nondum ab Hispanis scriptoribus tradita inveni.

Urbs *Madrigal*, quæ barbarorum lingua *Chapanchica* appellatur, distat ab oppi- do *Popayan* triginta quinque leuc. pene versus Meridiem: regio aspera est & petrosa, ubi nec triticum seritur, nec pecora pascuntur; Mayzium tamen quotannis bis non infeliciter provenit. Indigenarum ingenia, à locorum natura magis asperantur, ita ut non facile perdomari aut ad humanitatem tradi possint: in agro autem auri metalla sunt inventa haud contemnenda.

Agreda, quæ & *Malaga* ab Hispanis appellatur, distat à Metropoli quadraginta Agreda. quinque leuc. versus Africum: hic quoque non vulgaria auri metalla sunt inventa, ut tradunt Hispani.

C A P . XVIII.

Portus, Stationes, Flumina, Promontoria, omnisque ora huius Præfecturæ Insuleque eidem obiectæ.

SE C U N D U M oram maritimam hujus Præfecturæ, ad mare Australe, à Promon- torio *de Corrientes* ad altitudinem quinque graduum Septentrionalium, primo occurrit fluvius, quem vulgo vocant *R. de Salinas*, inter dictum Promontorium & Insulam *Palmarum*. Insula *Palmarum*, quæ à multitudine harum arborum, quibus I. de Pal- passim obsita est, nomen suum accepit, haud supra sesquileucam ambitu suo com- plectitur, amniculos aliquot & torrentes habet limpidarum & potabilium aquarum, fuitque quondam à barbaris habitata; distat à Promontorio *de Corrientes* leuc. viginti quinq;, ab Æquatore vero grad. IV & xx scrup. versus Arctum. Ab hac ad sinum *Bo- naventure* tres numerantur leucæ, de quo sinu & illius portu jam ante diximus.

Hactenus ora pene ad Austrum pertinet: à sinu autem *Bonaventure* ora ad Euro- austrum convertitur ad leucas viginti quinque, ubi Insula *Gorgona* continentis ob- jacet. Omnis hæc ora vadosa est & leniter declivis & ad ipsum littus usque densis arborum sylvis obsita, quas vulgo appellant *Mangles*. Inter flumina autem quæ hic in Oceanum egrediuntur, facile princeps est rapidissimum flumen *S. Ioannis*; utraque illius ripa accolitur à vere barbaris gentibus, quæ tuguria sua in fastigiis

arborum collocarunt, siquidem flumen hoc ripas suas non raro excedere & vicinam regionem inundare consuevit: certis autem temporibus in terram descendunt & faciunt sementem phaseolorum, fabarum, pisorumque & messe absoluta capiunt pisces, quantos sibi ad victimum sufficere arbitrantur, rursusque se ad tuguria sua recipiunt: auro abundant, cuius ramenta ab amnibus deportantur; Solum vicinum haud infœcundum, sed inæquale & crebris stagnis & tristis uligine squallidum.

Gorgo-
na.

E regione æstuarii hujus fluminis sita est Insula *Gorgona*, tribus gradibus ab Æquatore versus Arctum. Hæc Insula ab iis qui illam lustrarunt, inferno comparatur, nam propter montium altitudinem & nemorum opacitatem, incredibilis hic mosquitorum multitudo generatur; aër autem insalubris est & tempestuosus, nam ¹⁰ fere continuo & inde sinenter hic pluit, ita ut rarissime Sol hic videatur. Ingens hic *Guadaluinarum* copia reperitur; animal hoc à lepore non multum abludit. Arbores hic reperiuntur quæ fructus quosdam ferunt, instar castanearum, quæ alvum utiliter solvunt & noxios humores evacuant: etiam minutæ uvæ hic crescunt saporis haud ingrati. Plurimi hic pisces capiuntur, inter scopulos qui oram undiquaque tegunt: infinitæ aves in nemoribus: denique aliquot amniculi & torrentes de montibus descendunt. Insula tres circiter leucas ambitu capit, cætera ignobilis & tantum *Francisci Pizarri* cum Peruviam primo peteret latibulo nota, qui hic cum tredecim sociis aliquanto tempore substitit.

Ab Insula *Gorgona*, ora se ad zephyronotum convertit, ad Insulam, quam vocant ²⁰ *del Gallo*: tota autem hæc ora humilis est & vadosa; pluresque amnes hic in oceano è Continenti descendunt, & nominatim amnis *S. Lucæ*, *Nicardi* & *Cedrorum*.

de Gallo.

Insula autem *del Gallo* exigua est, vix leucam ambitu complexa, distatque ab Æquatore versus septentrionem duobus circiter gradibus. Ab insula hac, ora ad Austrum sese inclinat ad promontorium *Manglarum* usque, duobus gradibus ab Æquatore versus Arctum dissipatum, & octo leucarum intervallo ab Insula; intermedio spatio portus se aperit cui *Crucis* nomen indiderunt: Ora ejusdem plane conditionis est cum præcedente, & amnibus aliquot divisa, & à barbaris culta, qui vivendi norma ab accolis fluv. *S. Ioannis* nihil differunt. Hac tenuis ora hujus præfeturæ *Popayanæ* pertinet, à promontorio autem *Manglarum*, *Peruviae* ora initium caput, quam proximo libro sumus descripturi.

DESCRIPTIO



7
11
24
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000



